The Digital *Liber exceptionum* Project (https://exceptiones-project.wlu.ca)

Augustinus contra epistolam manichei (fol.5rb)

1. Anima in singulis sui corporis particulis. tota presto est. cum tota sentit in singulis. nec minor pars eius in digito est. et maior in brachio. sicut ipse digitus brachio minor est. sed ubique tanta. quia ubique tota est. cum enim tangitur digitus. non per totum corpus sentit. et tamen tota sentit. totam enim tactus ille non latet. quod non fieret. nisi tota presto esset. Nec sic tota presto est cum tangitur digitus. et sentit in digito. ut ceterum deserat corpus. et sese ad unum locum in quo sentit agglomeret. sed cum tota sentit in digito manus. si alius locus tangatur in pede. nec ibi desinit tota sentire. atque ita in singulis distantibus locis. tota simul adest. non unum deserens. ut in altero tota sit. neque ita utrumque tenens ut aliam partem hic habeat. et alibi aliam. sed sufficiens exibere se singulis locis simul totam. quoniam tota sentit in singulis. satis ostendit se locorum spatiis non teneri.

   animae uero natura, etiamsi non illa eius potentia consideretur, qua intellegit ueritatem, sed illa inferior, qua continet corpus et sentit in corpore, nullo modo inuenitur locorum spatiis aliqua mole distendi. nam singulis sui corporis particulis tota praesto est, cum tota sentit in singulis; nec minor pars eius in digito est et maior in brachio, sicut ipse digitus brachio minor est, sed ubique tanta est, quia ubique tota est. cum enim tangitur digitus. non per totum corpus sentit, et tamen tota sentit. totam enim tactus ille non latet; quod non fieret, nisi tota praesto esset. nec sic tota praesto est, cum tangitur digitus et sentit in digito. ut ceterum deserat corpus et sese ad unum illum locum, in quo sentit, adglomeret. sed cum tota sentit in digito manus, si alius locus tangatur in pede, nec ibi desinit tota sentire. atque ita in singulis distantibus locis tota simul adest, non unum deserens, ut in altero tota sit, neque ita utrumque tenens, ut aliam partem hic habeat et alibi aliam, sed sufficiens exhibere se singulis locis simul totam, quoniam tota sentit in singulis satis ostendit se locorum spatiis non teneri.

   Augustinus Hipponensis, *Contra epistulam Manichaei quam uocant fundamenti*, 16 (CSEL 25, J. Zycha ed., pp.213-14, ll.25-28, 1-15).

2. Facile est uidere nichil nocere corruptionem. nisi quod labefacit naturalem statum. et ideo eam non esse naturam. sed contra naturam. quod si non inuenitur in rebus malum. nisi corruptio. et corruptio non est natura. Nulla utique natura malum est.

   uerumtamen uidere iam facile est nihil nocere corruptionem, nisi quod labefacit naturalem statum, et ideo eam non esse naturam, sed contra naturam. quodsi non inuenitur in rebus malum nisi corruptio et corruptio non est natura, nulla utique natura malum est.

Augustinus Hipponensis, *Contra epistulam Manichaei quam uocant fundamenti*, 35 (CSEL 25, J. Zycha ed., p.240, ll.6-10).

3. Per homines commemoratio aliqua signis uerborum fieri potest. docet autem unus uerus magister. ipsa incorruptibilis ueritas. Solus magister interior. qui etiam exterior factus est. ut nos ab exterioribus ad interiora uocaret.

   per homines enim commemoratio aliqua signis uerborum fieri potest; docet autem unus uerus magister, ipsa incorruptibilis ueritas, solus magister interior: qui etiam exterior factus est, ut nos ab exterioribus ad interiora reuocaret, et formam serui accipiens, ut surgentibus eius sublimitas innotesceret, iacentibus humilis adparere dignatus est.

   Augustinus Hipponensis, *Contra epistulam Manichaei quam uocant fundamenti*, 36 (CSEL 25, J. Zycha ed., p.241, ll.16-21).

4. Ita non fecit deus corruptionem. ut possit corruptioni eum dare. eum qui corrumpi meruerit. idest qui se ipse cepit peccando corrumpere. ut cruciantem sentiat corruptionem inuitus. qui blandientem commisit uolens.

   ita enim non fecit corruptionem, ut possit corruptioni eum dare, qui corrumpi meruerit, id est qui se ipse coeperit peccando corrumpere, ut cruciantem sentiat corruptionem inuitus, qui blandientem commisit uolens.

   Augustinus Hipponensis, *Contra epistulam Manichaei quam uocant fundamenti*, 38 (CSEL 25, J. Zycha ed., p.244, ll.22-26).